



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Candidissimi Ordinis
Præmonstratensis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der
Antverpiæ, Anno M.DC.XXV.**

VI. Ioannes Lohelivs. Anagramma.Helivs Helio Osann.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37161

*Immota hoc etiā in precibus SOLE, impia fracta est
 Male fæderata Pseudoregis Societas :
 Ipse Palatinus SOLEM hunc stare ante Tonantem,
 Se contra ad aram sensit immotum Praga.
 EN Cæsar IHOSVA sic SOLE hoc NILE triumphat,
 Obediente LOHELII precibus Deo.*

V. I.

IOHANNES LOHELIVS.

Anagramma.

HELIUS HELIO OSANN.

HIC LOHELIVS ille *Magnus, ille*
Ordinis Ninei Cliens Patronus,
Pastor Catholici Gregis fidelis ;
Ille Pontificum decusq; Duxq;
Illustrissimus ille, Principumq;
Princeps ; hærescum ille sempiternus,
Nec placabilis hostis atque Mastyx :
OSANN' (literula unius litura
Vetas inuida gloriam Tonanti ?
Excelsi, sine, gloriam Tonantis,
Iesuq, canam Redemptionem)
 OSANNA HELIUS HELIO Tonanti.

Z Con-

Conuersa ad radios sequace vultu
Dilectum Clytie repulsa Solem,
Ceu pedissequa bis die salutat:
Phœbi Cynthia conficit quadrigas;
Fratriq; obuia, damna lucis Igne
Fraterno reparat, suoſq; vultus:
O Iesu HELIE Luxq; vera mundi,
Te LOHELIVS insequente amore,
Ceu Solis sequitur Sororq; Flosq;
Ceu (dicam mage) Frater ipſe Solis,
Factus HELIVS HELIO tibi alter:
Iesum moribus, Innocente vita;
Iesum affectibus omnibusq; dictis;
Iesum noctibus HELIVM, & diebus
Intuens vigil, & sopore pressus.
Iesum unum loquitur, gemit, susurrat;
Orat, somniat, incubatq; Iesu.
O Iesu! o Amor! o Amor beatus;
Quem nec morbus edax, nec ipsa soluens
Humana omnia, Mors amara soluit!
En ut pallidus algidusq; vultus,
Et vena Hippocratis manu notata
Tota mortua, mortuusq; pulsus,

Et



*Et Machaone rem stupente multo)
Vita nescia membra, viva soli
Vivunt mellifluo suoque Iesu.
En LOHELIVS ager ore, amore,
Quam desidero (ait) videre Iesum
Et dulcissimum (ait) videro Iesum!
Cumque lumine utroque, Corde fixo,
Et palmâ Crucifixum amante prensans,
Premit pectore dulce lignum Iesu;
Et tundens sine voce pectus, intus
Clamans murmure dulciore amoris,
Exspirans Animam sibi, suoque
Inspirans Domino Crucique Iesu,
Indormit placido sopore mortis.
Quam vere HELIVS HELIO es LOHELI?
OSANNA modo Gloriam Tonanti,
Iesuque tua Redemptionem,
Iunctus concinis aiterno amore,
OSANNA HELIVS HELIO LOHELI.*

F I N I S.